Archivo General de Simancas

E 525

fol. 160

†

Beatissime Pater post sanctorum pedum oscula

Literas S.^tis V. sub data Romę XXVI. Octobris, ad me sub finem Nouem-
bris transmissit Ill.ma Ducissa Parmę, et Placentię et Gubernans
Inferiorem Germaniam, quibus S. V. mecum expostulat negle-
cti mei officij causa, et quod non satis diligenter cauerim,
nequid mali ex principatu meo Auraico reciperet vicina
regio ditionis Ecclesiasticę, et quod D.num de Sancto Vbano
principatui Auraico prefecerim. Quę vbi legissem adi-
miratus sum plurimum; verum statim deprehendi,
quod S.tas V. ea confessisset scribi, non plene Instructa de
his quę in comitatu Venaissino, et principatu auraico
acciderunt. Quę si plene ad S.tem V. delata fuissent,
certo scio agnosceret, et fateretur nihil a me pretermis-
sum esse, quod ad conseruationem fidei Catholicę, et
tranquilitatis Resp. facere posset; et errores Vgono-
torum aliunde In Principatum meum allatos esse.
Primum n. seminarium huius mali Auraici fuit magi-
ster Egidius Ode, presbiter secularis qui ex Auinione
Illuc venerat anno 1560.mo et per vicarium Reuerendi
domini Auraici admissus fuit, vt in Ecclesia Cathreda-
li per quadragessimam ibidem concionaretur, qui et
Initio, et donec populi fauorem obtinuisset, catho-
lice concionatus fuit, et singulis fere diebus sacrifi-
cium missę ipse obtulit, verum paulo post, vbi sibi
populum adductum vidit, Vgonotorum heresim docuit,
cui malo vt occurrerem, primo ex Burgundia quosdam
meos officiatos Auraicam transmissi, ac paulo post
nimirum sexta Julij anno 1565. publico edicto vetui
omnes conciones quę fierent extra Ecclesias, et templa

Archivo General de Simancas
Secretaría de Estado, Negociación de Flandes, legajo 525, nr. 160
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10217

ad hocdedicata; et ne quis Eccleſię ſacramenta ab alio quam a ſacerdote, et ſecundum ritum Eccleſię Catholicę, et romanę, reciperet, cum plurimis alijs articulis eodẽ ſpectantibus.

Nec illo contentus ſeorſim per literas ſingulis offitiatis Senatus mandaui, vt diligentiſsimam adhiberent operam, et ~~[illegible]~~ iuuarent, vt quicquid eſſet ~~in~~ erroris Ugonotorum in principatu Auraico, quam breuiſsime fieri poſset, extirparetur, quod tum omnes promittebant ſeſe facturos; requiſiui etiam ad id per literas omnes, et ſingulos mei Principatus ordines, et nemo ex his illi edicto ſeſe oppoſuit, ſolus miniſter appelationem Interſecit ad Concilium Grationopolitanum,

Verum, creſcente de die in diem malo in vicinis Galię locis, et vt intelligo etiam in comitatu Venarſsino, quem et in ipſo Auinione, a duce Ugonotorum ſe prębente domino de Montbrun, plures etiam ex meo Principatu Ugonotorum errore infecti fuerunt, et dictum de Montbrun ſecuti fuerant, quod vt ſane periculo maiores motus ordinaria via pelli, et ~~[illegible]~~ puniri poſſet.

Quę res me impedit vt ~~20~~ 2da die menſis Martij anni. 1563. ſtilo Gallicano ad imitationem Chriſtianiſsimi Galliarum Regis generalem remiſsionem, ſiue condonationem publicare, ſaluo quod in poſterum, vt decet bonos Chriſtianos Catholicos, viuerent, obſeruarent mandata dei, et catholicę Eccleſię, et abſtinerent ab omni ſeditione, et rebellione, ſperans futurum, vt hac benignitate prouocati (abiectis erroribus Ugonotorum) Catholicam fidem, et religionem amplecterentur, ac deinde certior factus quod aliquot ex

Archivo General de Simancas
Secretaría de Estado, Negociación de Flandes, legajo 525, nr. 160
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10217

2.

Archivo General de Simancas

E 525

consulibus mei Parlamenti Ugonatorum errores excussent
secuti dictum Magistrum Egidium ode, et quod his
conniuentibus, et auctoribus etiam plebecula liberius in
Ugonotorum errores dilaberetur, misi mense Martio
anno 1562. in Auraicam stabuli nri prefectum Alexā
drum de Lathour, cuius fidem catholicam, et obseruantiam
erga Ecclesiam Romanam habui perspectissimam,
cum amplissimo mandato reducendi omnia Innouata
ad pristinos Ecclesie Catholice et Romane ritus, et
cerimonias, ac destituendi consules, et officiatos, quos
Inuenirret ad errores Ugonotorum dilapsos, et in
eorum locum subrogandi eos de quibus certa spes esset
quod nostra edicta obseruarent, et ab aliis obseruare
curarent; tradidi etiam eidem de Latour diuersas li
teras ad diuersos Cardinales, Episcopos, et Principes
Gallie, quibus eosdem rogabam, ut si in explendo meo
mandato, auxilio ipsorum egeret, dignarentur eidem
assistere, et adesse. His omnibus extreme laborans,
ut ii qui precipui erant motuum, rebellionum, et mu
tande religionis autores, in meo Principatu fuerent
penas dignas, et ut Innocentibus liceret pace, et
tranquilitate frui; Nihilominus in mense Junio
subsequenti Intellexi, cum maximo animi mei dolo
re ciuitatem Auraicam Duce fabritio Serbellone S.tis V.
expugnatam, direptam, et exustam, nulla omnino
religionis sexus vel Etatis habita ratione promiscue
tam Catholicos, quam Ugonotos occisos, et trucidatos
fuisse, virgines et matronas turpissime stupratas
et violatas, quinimo multos, contempta fide eis data, tā
quam

Archivo General de Simancas
Secretaría de Estado, Negociación de Flandes, legajo 525, nr. 160
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10217

pecudes pręciſſa gula Jugulatos eſſe; et breviter quòd
Auraica propoſita eſſet in exemplum omnibus vicinis ſuis,
quę ſanè eò graviora mihi fuerunt, cum quòd ſemper
tam ſolicitè laboraverim, vt auctores motuum, et
mali corriperentur, tum etiam quòd in ſolos meos ſub
ditos tanta crudelitate ſævitum eſt, et omnes eorum vici
ni, qui in eodem luto hęrebant, ſummam lenitatem
ſenſerunt.

Ex ſupradictis, vt confido, S^tas V. ſatis Intelliget, me
ſedulò inſecutum fuiſſe admonitionem prius á S^te V.
factam, et nihil prętermiſiſſe, quod boni, et catholici
fuit Principis in hoc turbulento ſęculo, et á nemine
merito in hac re notari, vel reprehendi poſſe.

Quod autem ad D. de S^to Vbano attinet, hic quemadmodum
pleraq. comitatus Venaiſſam loca cepit, Ignorante S^te
V. ſic et [illegible] me neſcio, Auraicam occupavit, In qua cum
Conſultius ducerem eum ad tempus dimittere, quam [illegible]
periculo novorum tumultuum armis depellere, ſcri
pſi ad eum ſolum literas nulla commiſſione ei data, qui
bus petijt daret operam, vt ſubditi mei Auraici
Inter eſſe [illegible] quiete, et pacificè viverent, Juxta edictū
quod tum ſimul tranſmittebam; ſimul ab eodem pe
tens ne ex auraica vllas Invaſiones, vel Incur
ſiones faceret in ſubditos S^tis V. vel cuiuſcunq. alte
rius, verum vnicuiq. quod ſuum eſſet redderet, et li
berum dimitteret.

Per illud Autem edictum, quam maximè potui conſu
lui rebus, et bono Catholicorum, et duriorem me contra

Archivo General de Simancas
Secretaría de Estado, Negociación de Flandes, legajo 525, nr. 160
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10217

Archivo General
de Simancas

E 525

Ugonotos exhibui, quam Chr^mus Galiarum Rex in
suis quibusdam edictis; Nam omnes Ecclesias Jubeo
Catholicis restitui, excepta sola Ecclesia prędicatoru
quę solum ad tempus aliquod Ugonotis conceditur.
Ecclesiasticis omnia eorum bona restitui Jubeo: quin
et fiscales meos illis adiungo, vt minus Incomodi sen
tiant, in recuperando: Absentes omnes reuoco, et
expelli volo omnes qui ex alijs locis, intra decem, et
octo menses in Auraicam commorassent, permitto:
cedens temporum, malitię, vtriusq. religionis exercitiu,
sed per formam prouisionis tantum, et donec ali
ter permansit; constitutus ad has literas, et edictu
Dns de S.to Ubano, sexta Octobris respondit sese re
nuntiasse omni officio, et munerę, quod in comitatu
Venaissino obtinebat, et curaturum sedulo ne domino
fabritio, vel cuiquam alij det Justam conquerendi cau
sam, aut occasionem detractandi pacem, et commercium
cum auraicis: Et Arbitror quod post dicti edicti pu
blicationem, quę facta fuit in principio mensis Octo
bris Dns de S.to Ubano nullam Incursionem, in vicina
S.tis V. loca fecerit, quę autem antea fecit, vt excu
sare non volo, ita illis grauari non possum, vt quę
meę non contingunt.

Statuj autem propediem isthinc aliquos in Auraicam
mittere, quibus negotium dabo desspiciendi gubernatorem
pręsidem, Consules, et alios officiatos Catholicos, et
Idoneos, quos Gubernationi, et Juri dicendo pręficiam.
Quod iamdudum factum esset, nisi bellorum, et hie
mis Injuria viros ętate prouectiores a suscipienda

Archivo General de Simancas
Secretaría de Estado, Negociación de Flandes, legajo 525, nr. 160
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10217

tali legatione deterruiſſet, Juniores autem ei rej non conuenirent, et Alexandrum de Lathour coactus fuiſſe reuocare, quod ipſe ſuis adme literis teſtaretur, quod tanto ſuj odio tenerentur Auraicēſes, vt quidquid ageret ipſis ſuſpectum, et Ingratum eſſet.

Interim ſupplex oro S.tem V. dignetur mandare Dnis V.i celegato, et fabritio, vt ceſſent Incurſiones hoſtiles, et omnia arma ac Auraicenſibus permittant liberum cum Auinionenſibus, et Incolis comitatus Venaiſſini commertium. Quemadmodum S.tas V. id permittit Lugdunenſibus, et Illis de Languedoc et daulphino, idq. tantiſper, dum per temporis malitiam fieri per me non poteſt quod maxime volo.

Atq. hec vt in bonam partem accipiat S.tas V. iterum, atq. iterum ſupplex oro, et vt me S.ti V. et S.te ſedi Apl.ice obedientiſſimum, et per omnia addictiſſimum, ſolita beneuolentia, et benignitate amplecti dignetur. D.

Bruxellis 17. decembris. 1563

Archivo General de Simancas

Secretaría de Estado, Negociación de Flandes, legajo 525, nr. 160
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10217

Copia de la carta del Princip. d'oran
ge al [illegible] S.ª de Brusselas a 17. de
Dezi.e 1562

contiene lo mismo q
la q escriuio a Madama

f. 160

E. n.º 525.

E 525

Copiado en 27. de Abril

Copiada p.ª el S.or
Navarrete

Archivo General de Simancas

Archivo General de Simancas
Secretaría de Estado, Negociación de Flandes, legajo 525, nr. 160
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/10217